

novam porrò adinvenisset, non deerat aliis vel occasio vel ratio, servatis essentialibus, accidentaria variè mutandi, prout quisque scopo suo aut hanc aut illam fabricam aestimabat magis accommodam. Hinc geminam ejus innovationem ante hos ipsos decem annos Gallia quoque nobis dedit, tum verbis descriptam tum cælatorio scalpto expressam, in Tractatu peculiari Parisiis anno 1674. edito & inscripto *Nouvelles experiences du Vuide*; è quo Doctissimus *Hamelius* alteram cum usu ipsius multiplici Philosophiæ suæ Vet. & Novæ inseruit Tract. II. Phys. Gen. cap. X. Neque verò Germaniæ nostræ desunt Viri solertes ac ingeniosi, qui vel aliorum inventa prudenter suo proposito accommodent, vel ipsimet superaddant unde plus commoditatis in multis casibus sperare liceat; prout ex postmodum dicendis apparebit.

II. Subnata hinc etiam nobis est occasio partim mutandi quædam in antliæ nostræ antiquiore, *Guerickiana* putata, forma, quæ, sicut in quibusdam casibus & experimentis tentandis tum *Boylianæ* tum aliis recentioribus cedit, ita profectò in quibusdam aliis palmam etiamnum præripit omnibus cæteris; tum verò novis quibusdã additionibus eandem ditandi. Ac primò quidem, cum fabrica prior aërem ex antliæ tubo orichalceo per canalem pistilli I K ejusque foramen laterale K emisisset, hic verò, ubi confertior & impetuosior nonnunquam admissus esset, agitato celerius pistillo, rimam agere per totam ferè longitudinem K M cœpisset, aliud ac novum pistillo lignum accommodavimus, cujus interior cavitas

